

1786, 10
2573
M.
6

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
DE
**LEGE COMMISSORIA
EMTIONIS VENDITIONIS**

QVAM
SVB AVSPICIIS REGIIS GEORGII III.
AVCTORITATE
INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS
DIE XXIX. IVL. MDCCCLXXXVI.

PVBLINE DEFENDET
IOANNES WILKENS
BREMA - SAXO.

GOETTINGAE
Litteris FRIED. ANDR. ROSENBUSCH.

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO
LIBERAE AC INCLYTAE
SACRI ROMANI IMPERII
REIPUBLICAE BREMENSIS

S E N A T V I

VIRIS
ILLVSTRIBVS
MAGNIFICIS, EXCELLENTISSLIMIS,
CONSVLTISSIMIS
PRVDENTISSLIMIS, GRAVISSIMIS

DOMINO
P R A E S I D I
DOMINIS
C O N S V L I B V S
DOMINIS
S Y N D I C I S
DOMINIS
S E N A T O R I B V S

PATRIAEC PATRIBVS
RELIGIONIS LIBERTATIS, ET IVSTITIAE
STATORIBVS FELICISSIMIS
DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS
MVSARVM TVTORIBVS OPTIMIS
PATRONIS AC FAVTORIBVS
SVMMA REVERENTIA IN AETERNVM COLENDIS
CVM
OMNIGENAE FELICITATIS VOTO
DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM

SVBMissa mente

OFFERT

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Sisto tibi, Beneuole Lector, commentatiunculam in
legem commissoriam emtioni venditioni adiectam.
Extant quidem quoad hanc materiam nonnulli Scri-
ptores a *Martino LIPENIO* a), nec non *A. Frid.
SCHOTT* b) indicati: quorum *MADIHN* c) partem
huius argumenti ingeniose explicans, *STRVVIVS* d)
et *HILDEBRANDVS* *) optimi viisi sunt. Quoad cae-
terorum scripta veterum praecipue iureconsultorum :
nec ea in singulorum manibus versantur, nec, quae
in iis proposita inuenies, ea, qua oportet, et inter-
pretatione et commentatione instructa videntur. Id
quod haud quamquam sub aliqua arrogantiae specie dix-
erim, quasi, me, iis, putarem, doctrina longe su-
periorem, qui modo Themidis labia osculatus. Ope-
rae tamen, ratus, pretium esse, nouum, hoc in ar-



gumento, facere periculum; Quam ob rem legem commissoriam tamquam argumentum Dissertationis meae inauguralis eligere haud dubitauit: et si quae forte a me iuuene minus recte dicta sint, spero, fore, ut
B. Lector benigne ignoscat.

- a) *Biblioth. iurid. real. Tom. I. ad vocem Lex commissoria.*
- b) *Supplement. et Emendat. Lipenii Biblioth. iurid. ad voc. Lex commissoria.*
- c) *Disputat. iurid. de effectu legis commissoriae parte pretii soluta ad L. 4. §. 1. de lege commiss. Halae Salic. 1755. 4.*
- d) *Diff. de lege commissoria.*
- **) Diff. de eodem argum.*

CON-

CONSPECTVS.

- §. I. A contractu recedere non licet, nisi id inter partes actum appareat.
- §. II. Notio legis commissoriae tum generaliter tum specialiter summae exhibetur.
- §. III. Declaratur, quem fensum vocabula *Lex* et *committere* hic recipient.
- §. IV. Defenditur, legem commissoriam in emtione venditione nec ullo tempore fuisse prohibitam, et aetate Ciceronis iam usu valuisse. Recensentur praeterea discrimina Commissoriae pignoris.
- §. V. Legem commissoriam emtionem venditionem puram supponere ostenditur.
- §. VI. Refutatur opinio, legem commissoriam sub conditione suspensiua concipi posse.
- §. VII. Legis commissoriae exercitium ut cogitari possit, tria recensentur requisita.
- §. VIII. In dubio ea lex haud apposita ereditur, nec itaque in substitutione tacite intelligitur.
- §. IX. Certus dies solutionis ut ab initio legis commissoriae determinetur, sane non est de substantia, cum et sufficit, ex post per interpellationem diem statuisse.

§, X.



- §. X. Quando dies intercalaris emtori proficiat, per distinctionem deciditur.
- §. XI. Emtore in legem commissoriam peccante vendoris est statim declarare, quid agere velit.
- §. XII. Competit vendori facultas exercitio legis commissoriae renunciandi.
- §. XIII. Nec licet variare, cum vendor declarauit se ea lege usurum.
- §. XIV. Effectus huius legis alii sunt ratione contrahentium, alii ratione extranei.
- §. XV. Excutitur speciatim quaestio, an, venditore hanc legem exercente, arrha, aut pars pretii iam exsoluta amissa sint.
- §. XVI. Gabella fisco non soluitur, et exsolutam condicione sine causa repetere licet.
- §. XVII. Remedium juris ad legem commissoriam exercendam est mera actio personalis venditi.
- §. XVIII. Referuntur modi, queis exercitium huius legis cessat.

§. I.

S. L.

C ontractui debito modo celebrato *iure ciuili* e) non minus, ac *iure naturae* f) tanta ineſt vis, tanta efficacia, vt ab eo, inuita altera parte, resiliere haud sit permisſum. Prono inde, arbitror, fluere alueo, vel a perfecta emtione venditione vtpote contractu bilateralı non niſi mutuo contrahentium conſensu recedi posſe; quod adeo Diui Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS exprefſe constituerunt g).

Attamen nihil impedimento eſſe videtur, quo minus pacientes legem contractui, qua negotii principalis naturalia immutari poſſunt, adiicere valeant h), quae prima inter eos eſt iuris regula, et huius primum, quod verbis continentur et exposuntur i). Posita itaque facultate, qua contrahentes pollent, negotii naturam et reſtringendi et augendi: vel maxime qualitates ex legis diſpoſitione emtioni venditioni ineſſe ſolitas eiusmo di lege adiecta conuentionali corroborare aequē ac pro parte immutare k) licere nemo eſt, qui dubitat.

B

a) L.



- e) L. 5. Cod. de Oblig. et Action.
- f) S. Pufendorf de officio hominis et ciuis Lib. I. c. IX. §. 3. idem in op. maj. de I. N. et G. Lib. III. c. 4. §. 1. Hugo Grotius de I. B. et P. Lib. II. c. II. §. 1.
- g) L. 3. Cod. de Rescind. Vendit.
- h) L. 23. ff. de Keg. iur.
- i) L. 34. de Reg. iur. L. 7. §. 1. ff. de pact. Mevius Part. II. Decis. 55. n. 1. P. II. Decis. 96. n. 1. P. III. Decis. 363. n. 5. Klock libro sing. de Relation. pro Assessoratu hab. Relat. VII. n. 255.
- k) tot. tit. Cod. de pactis inter Emotor. et Vendit.

§. II.

Legum conuentionalium' contractui emtionis venditionis adiici solitarum fane haud infimum occupat locum *lex commissoria*, de qua hic ex instituto agere conamur.

Accipitur ea lex primum in *sensu lato* pro pacto adiecto, quo cauetur, ut alter paciscentium, obligationi sua haud satisfaciens, cadat iure ex negotio principali sibi competente. Quia notione latiori, putamus, facile esse intellectu, eam legem variis actibus et publicis l) et priuatis m), quibus termini forsitan nulla sit mentio, accedere posse.

Speciatim vero et in sensu eminenti ad contractum emtionis venditionis applicata, est pactum, quo *venditor* sibi reseruat *ius*, pretio intra certum tempus haud soluto n), rem venditam cum omni causa recipiendi. Ipsam venditionem ab hoc pacto subinde dici *commissoiam*, non est, quod mirumur.

l) Jo. Gottl. HEINECCIUS in Element. iur. Nat. et Gent. Lib. II. §. 134.

m) MENCKEN System. iur. ciuil. secundum Pandectas Lib. XVIII. tit. III. §. 1. WOLFF in iur. Natur. Tom. IV. Part. IV. cap. IV. §. 1086.

n) Jo. Gottfr. SCHAVMBVKG comp. iur. Dig. Lib. XVIII. tit. III. §. 1. §. III.

§. III.

Veterum Iureconsultorum mos erat in definitionibus nominalibus anxie consumere tempus, quod cum operae pretium nobis haud esse videatur, non nisi pauca de nominali definitione proponere arbitramur. Plura de ea exhibet MEIERVS o).

Vocabulum *Tō lex* hic non proprio usurpari sensu pro *norma actionum humanarum liberarum ex principiis voluntate obligatoria,* ceu vt *Ietus Papinianus* p) ait: *praeceptum commune: Virorum prudentium consultum: delictorum, quae sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio: communis Republicae sponsio*, sed sensu proprio pro pacto adiecto, manifeste ipsa definitio docet. Conveniunt pacientes eiusmodi pacto de re, extra ordinariam contractus naturam, praestanda, vnde est, quod legem contractui dixisse q) dicantur.

Quoad vocabulum *Tō committere*: a quo pactum, de quo loquimur, suam accepit denominationem, id et varias habere suas significaciones r), nec ulli artis peritorum ignotum esse potest. Quem vero sensum hic recipiat, non vna eademque Doctorum est sententia. Nonnulli, vti visum est et DONELLO s) nec non Meiero t), putant, *committere* denotare *rem et emotionem venditionem venditoris arbitrio relinquere*, vtrum eam ratam aut irritam habere velit, quam declarationem sane speciem probabilitatis prae se ferre nullus dubito. Meo, tamen iudicio, probabilior mihi videtur sententia eorum, qui ab effectu huius pacti *Tō committere* declararunt, cuius intuitu idem est ac *amittere vel perdere*, id quod belle Frantz. v), Menkenius w) et Pagenstecherus x) probatum dederunt.



- o) Disput. iurid. inaug. de lege commiss. th. I. 2. 3. habit. Erford. 1718.
 p) L. I. ff. de LL.
 q) L. 39. ff. de pacis. L. 23. ff. de R. Iur. L. 3. Cod. de contrah. Emt.
 L. I. §. 6. ff. depositi. MENCKEN Diff. de lege commiss. iure repro-
 bata. §. I. extante in opuscul.
 r) recensum exhibit *Pagenstecher* in Sicilim, ad compend. Pandect.
 Lauterb. Lib. 18. Tit. 3. sub voce *commisoria*. inferta sunt thesauro
 iuris civilis a MELLENBECIO edita Lemgoiae 1717.
 s) COMMENT. IVR. CIVIL. Lib. 16. c. 19. *ibique Hilliger* lit. b.
 t) COLLEG. IVRID. ARGENT. Lib. 18. tit. 3. §. I.
 v) COMMENT. ad Pandect. Lib. 18. tit. 3. n. 2.
 w) cit. *Differt.* §. I. n. 2.
 x) cit. I. n. 5.

§. IV.

Pactum hocce commissorum iam tempore Reipublicae Ro-
 manae quam maxime in usu fuisse, varia apud C. NEPOTEM y)
 vti et CICERONEM obuenientia loca aperte euincere nec nullus
 inficias ibit. Hic, in temporis sui difficultatibus, ait, hanc non
 aequam sibi videri legem; ille exemplum profert de FVLVIA,
 quae fundum in diem emerat hac lege, vt, nisi pretium tunc
 esset solutam, fundus inemtus fieret.

Quod ad valididatem huius pacti: eam tum iure Naturae,
 ceu uno ore omnes huius iurisprudentiae partis Commentatores
 profitentur, tum iure positivo Romano fundatam esse, satis com-
 probant variae in corpore iuris obviae Leges a). Verum an
 non aliquo tempore intermedio in numero negotiorum prohi-
 bitorum relatum fuerit, alia est quaestio, cuius intuitu singuli
 interpretes modo plane diuerso opinionem suam nobis commu-
 nicant. Alii, quorum numerus est maximus, putant, eam le-
 gem in emtione venditione nec ullo tempore illicitam fuisse:
 Alii contra sentiunt, quorum e classe est *Rendorp* b) publice de-
 fen-

fendens istam legem commissoriam ab Imperatore CONSTANTINO reprobatam esse, et quidem ex rationibus haud plane spernendis, inquiens, *legem unicam Cod. Theod. de lege commiss. sub hisce verbis: quoniam inter alias captiones praecipua legis commissoriae crescit asperitas: comprehendere et legem commissoriam contractui emtionis Venditionis adiectam.* Deinde urget, *LEGEM HANC VNICAM in Cod. Theod. medianam inter titulos de emtionibus venditionibus agentes collocatam reperiri.* TRIBONIANVM denique in L. 3. Cod. de paſt. pignor., ex lege cit. VNICA Cod. Theod. deſpromta, inſerto vocabulo pignorum legem commissoriam ad ſolum pignoris contraeturum reſtrinxiffe, et eam ob cauſam ſub titulo de paſtis pignorum poſuiffé videri: ita ut lex commiſſoria venditionis nouo demum iure probetur.

Verum enim vero IACOBVS GOTHOFREDVS c) magno ingeniū acumine pollens interpretando codice Theodosiano *Leg. cit. VNICAM* de commiſſoria reſcindenda de pignoris duntaxat Contraetur esse intelligendam argumentis maioris ponderis probatum dediſſe videtur.

Magnum fane nobis exhibent diſcrimen notiones paſti commiſſorii pignoris contraetur, et eius, quod venditioni adiectum appetet. Hic Emtor moram in pretio ſoluendo nectens cadit iure percipiendi retinendive ea, quorum acquisitionis aut retentionis ius radicatum purum ſibi ex venditione competebat, ut infra prolixius demonstraturi ſumus. In illo autem paſto creditor ſibi a debitore stipulatur ius rem pignoris nexu viñtam, quae aēs alienum contraetur quoad valorem ſaepe numero longe excedit, debito intra determinatum tempus haud expuncto, ſolutionis loco in perpetuum retinendi, ita, ut debitori omnis fa-

¶ ¶ ¶

cultas eam in posterum reliundi sit ademta. Exulat itaque pacto posteriore magna fortunae iactura, quam debitor in priori incurriere solet.

Rationes prohibitionis pacti commissorii in contractu pignoris eo redeunt: Pignus non datur creditori eo animo, ut dominium in eum transferatur, sed illud manente proprietate debitoris solum possessionem transfert in creditorem d). Deinde pignoris pretium non raro excedit summam pecuniae mutuo acceptae e). Hinc facile debitor periclitari et propter indigentiam pecuniae re sua priuari ac decipi potest. Accedit et hoc, ut hoc pactum in pignoribus quasi invito et coacto debitore adiiciatur, qui ob egestatem et in omnia, etiam cum substantiae suae interitu, consentire tenetur. Denique quoniam, si huiusmodi modo pactum permitteretur, indigentes debitores absque eo non nisi maxima cum difficultate, mutuum acceptaturi, nec creditores mutuaturi essent. Cum autem mutuans ultra usuras permissas et licitas non debeat ponere spem in ullo alio lucro consequendo f): hinc propter usuriam prauitatem et iniuriam tam creditorum odio quam debitorum fauore pactum commissorium in pignoribus est reprobatum g).

y) Vita T. POMPONII ATTICI cap. 9.

z) ad ATTIC Epist. 28.

a) L. 13. §. 26. ff. de Aet. Emt. Vend.

b) Dissert. inaug de Lege commissoria c. 4. extante in collectione Dissert. Belgicar. de 1724.

c) Cod. Theod. Tom. I. Lib. III. tit. II. pag. 290. 291. ex Edit. Ritteri Lipr. 1736. in fol.

d) L. 35. §. 1. ff. de pignor. action.

e) NEGVSANT. p. 4. p. 2. n. 2.

f) cuius

f) cap. consiluit 10. X. de vſur.

g) CARPOV lib. V. Resp. iur. Elect. tit. II. Resp. 12. n. 5.

§. V.

Inquirentes qualitatem emtionis venditionis, adiecta lege commissoria, incidimus in controuersiam iam inter veteres iureconsultos agitamat, nempe an lex commissoria Venditionem faciat conditionalem, nec ne? vſus huius quaefitionis controuerſae perquam insignis eſt: Si enim pura eſt talis Venditio, dicendum eſt, emtorem interim dominium vel facultatem vſucapiendi adquirere, et consequenter etiam fructus ſibi ſuo iure percipere; Si vero talis venditio pro conditionali eſt habenda, ſequitur, nec dominium, nec facultatem vſucapiendi interim ad emtorem transire, nec fructus perceptos illius fieri h).

Putabat autem SABINVS, adiecta lege commissoria, venditionem ſub conditione contrahi i); VLPIANVS contra ait, puram eſſe talem venditionem et magis ſub conditione resolui k): Quod et PAVLVS ſentit L. 2. §. 3. pro Emt. qua Sabini opinionem reprobat addita ratione: legem commifſoriam non conditionem eſſe, ſed conuentionem: id eſt, per legem commifſoriam non hoc agi, vt in futurum ſuspendatur contractus ſolutione pretii demum perficiendus, ſed conuenire de resoluenda aliquando emtione iamdum perfecta: ſive quod eodem redit, adiecta lege commiſſoria magis ſub conditione resolui emtionem, quam ſub conditione contrahi, vti VLPIANVS ait L. 1. ff. h. t. Hisce conuenienter dicit NERATIVS l): Lege commiſſoria, fundo vendito, diſta hoc agi, vt emtor interim fructus ſibi ſuo quoque iure perciperet, id eſt tali caſu venditionem puram contrahi et consequenter omne ius venditoris transire ad emtorem, ita, vt emtor fructus iam

iam suos faciat suo quoque iure, nempe, vel iure dominii, vel iure bonae fidei possessionis, si aliena fuerit. Sed dubitatione carent, si res sic emta est, vt, nisi pecunia intra certum diem soluatur, res inemta sit m).

h) L. 2. §. 4. D. pro emt.

i) L. 2. §. 3. D. eod.

k) L. 1. D. h. t.

l) L. 5. D. h. t.

m) ZOESIVS comment. Digest. h. t. n. 2.

S. VI.

Aliam et hic proponunt quaestionem, num lex commissoria ita non possit concepi, vt venditionem reddat conditionalem? Veterum nostrorum Iureconsultorum Princeps CVIACIVS n) cum assēclis suis non dubitat affirmatiuam proponere sententiam. Negantium tamen sententia legibus magis conueniens videtur propter L. 1. D. h. t. quae est ex VLPIANI libro vigesimo octauo ad SABINVM de prompta, quo libro VLPIANVM de pactis inter emtorem et venditorem compositis ex professo egisse variae probant Leges. Explicat nimurum dicto libro, inter alia pacta, et commissoriam et additionis in diem; De vtroque querit, an emtionem venditionem puram faciant, an vero conditionalem? in pacto additionis in diem vult, distinguendum esse, vtrum ita conceptum sit, vt meliore conditione allata discedatur; an vero ita, vt emtio venditio perficiatur, nisi melior conditio offratur: illo casu puram, hoc conditionalem esse emtionem o). Deinde, cum eandem quaestionem de lege commissoria propo-
nit, subindigitat quidem, esse aliquem hac in parte inter Iure-
consultos dissensum, dum in L. 1. D. h. t. ait: *magis esse, vt
vide-*

videatur pura, quam *conditionalis emtio commissoria*. Nulla tamen distinctione vtitur, nec diuersam formulae conceptionem allegat, sed simpliciter et generaliter definit; *Si fundus lege commissoria venierit, magis est, ut sub conditione resoluti emtio, quam sub conditione contrahi videatur*. Ex his, puto, facile intellectu esse, claram omnimodo esse VLPIANI mentem in cit. L. i. h. t.

Huic argumento accedit et aliud a significatione vocis commissoriae: *Committere hic mihi est amittere in poenam negligentiae id, quod quis iamiam ex contractu emtionis venditionis adquisuerat*. Quomodo, quaeso, potest aliquid amitti, quod nondum est adquisitum? emtionem venditionem itaque perfectam esse oportet p).

Denique quotquot in toto iure leges venditionis sub lege commissoria contractae faciunt mentionem, de pura venditione loquuntur omnes. Nullum sane exemplum conditionalis venditionis commissoriae obuium est.

n) ad tit. Cod. de pactis inter emtor, et vendor.

o) L. 2. pr. D. de in diem addict.

p) ZOESIVS comment. Digest. h. t. n. 3. RENDORP cit. Diff. cap. IV.

§. VII.

Exercitium legis commissoriae locum ut habere queat, requiritur 1) vt ea lex expresse q) contractui adiecta sit, 2) tempore solutioni praefinito et lapsu ut totum debitum haud sit solutum r). Quin et 3) vendor declareret, se ea lege usurum s).

q) Arg. L. 3. Cod. de pact. inter emtor. L. I. ff. h. t.

r) L. fin. D. h. t.

s) L. 4. §. 2. D. h. t.

C

§. VIII.

S. VIII.

Ex primo itaque requisito colligere licet, in dubio esse contra venditorem pronunciandum, cum allegatae legis commissoriae probatione excidat. Est enim assertum contra negotii naturam factum, quod si afferens probare nequit, applicatur ad illum vulgata regula, in dubio pronunciandum contra eum, qui clarius loqui debuisset t), quod in nostra thesi venditorem facere oportet. Quam regulam egregie illustratam exhibet *H. Boehmerus v.*

Nec tamen deficiunt, quod mirandum, qui emtionei venditioni saltim publicae, s. subhaftationi legem commissoriam tacitam inesse magno opere defendere student, auctoritate ipsius BERGERI potissimum suffulti. Vrget enim BERGERVS w), secundum fori vsum a iudicis subhaftantis aut potius eorum arbitrio, quorum interest, dependere, vtrum compelli licitatem ad deponendum pretium, aut an subhaftationem repeti velint. Quam ob rationem ad consuetam in subhaftationibus formulam prouocat: v. g. *dass in Verbleibung dessen mit Subhaftation des Guts anderweit gebührend billig verfahren werde:* sententiamque, quam propugnat, exinde firmam putat, quod in contractibus nominatis poenitentiae nullus locus sit, atque praeterea speciatim in *L. 8. Cod. de contrah. Emt. Vendit. contra Venditorem*, qui rem traditam soluto nondum pretio repeteret voluit, lis decisâ sit. Sed frustra BERGERVS, quod pace manium tanti ICTi dixerim, legem commissoriam tacitam in subhaftationibus prehendisse glorjatur. Lex commissoria enim necessario supponit fidem de pretio fuisse habitam. Si igitur pretium non solvit, emtor ad illud soluendum compellendus est, nullaque ideo

ideo poenitentia ex pacto venditoris locum tenere potest. Quam ob rem DIOCLETIANVS et MAXIMINIANVS analogiae iuris satis conformiter rescripsierunt in cit. L. 8. Cod. si non donationis causa, sed vere vineas distraxisti, nec pretium numeratum est, Actio tibi pretii, non eorum, quae dedisti, repetitio competit.

Nam si venditor de pretio fidem habuit, rei venditae dominium in emtorem mediante traditione transtulit. Iam vero haec dominii translatio aut sub conditione, si pretium iusto tempore soluit emtor, facta est, aut non. Priori in casu lex commissoria adiecta est, et ita vi eiusdem contractus, mora emtoris accidente, resoluitur. Venditori igitur in hoc casu non potest non facultas eligendi competere, utrum nihilominus pretium ab emtore exigere, sive illum ad servandum contractum adigere, aut potius commissoria lege uti velit.

Posteriori vero res pure tradita est, atque quum in contractibus nominatis poenitentiam exulare manifesti iuris sit, tantum ipsa venditi actione pretii exigendi causa venditor experiri potest.

Tantum vero abest, ut hinc inde necessitatem legis commissoriae tacitae in subhaftationibus vrgere possimus, ut potius ex ista subhaftationis indole luculenter adpareat, indicem subhaftantem creditoresue ad hoc adiectum pactum superuacanee configere. Vulgati nimirum iuris est, rem venditam nequidem traditione emtoris fieri, si illi nec de pretio fides habita, nec eius solutio, facta est x), adeoque contractum iam ipso iure effectibus suis destitui palam omnino est. Nihil igitur iudex subhaftationem peragens per fictam legem commissoriam consequitur, quam quod illi iam ipso iure competit.



Nullius etiam ponderis sunt, quae Io. GOTTL. REINHARD y)^t ad defendendam Bergeri sententiam profert. Eam ob causam commissoriam legem emtione venditioni citra expressam contrahentium voluntatem inesse posse statuit, quod negotio cuidam ex LL. dispositione et consuetudine illud etiam tacite inesse possit, quod alias per expressam pactionem inter paciscentes placuit. Sed quamvis veritatem huius propositionis neutiquam in dubium vocare fas sit, tamen utique neganda est consequentia. Pactum enim commissorum efficaciam suam acceptam fert pactorum adiectorum indoli, quae vero nunquam sine expresso paciscentium consensu contractui accedere neminem sugere potest. Quare potius subhaftationi per propriam suam indolem idem illud competit, quod BERGERVS et qui ab eius instant partibus, fictae legi commissoriae tribuunt. Abutuntur legis commissoriae notione, et ex iure romano emtionem iudicialem hac sententia supplere student, quae tamen Quiritium sanctionibus de pacti adiecti natura atque efficacia e diametro repugnat z).

t) L. 39. D. de pactis.

v) *Disput. de interpretatione facienda contra eum*, qui clarius loqui debuisset. Hal. 1700. 4. extat in eiusd. Exercit. ad Pandectas. Tom. II.

w) *Resolut. LL. obſt. sub tit. de Lege commiffaria.*

x) §. 41. Inst. de Rer. dom. L. 19. ff. de contrah. Emt. Vendit.

y) *Differr. sub PRAESIDE CRELLO Vitembergae habit. de Lege commif- foria tacita in subhaftat.*

z) MADIBN cit. *Differr. §. 3.*

§. IX.

§. IX.

Quoad alterum requisitum: ex eo sequitur, 1) certum debere diem solutioni facienda praesigiri.

Quaeri autem solet, an ad formam pacti commissorii necessario sit exprimenda dies? Posset videri expressio diei esse de forma, cum hoc pactum habeat expressum diem, ad quem referatur contractus solutio. Dicendum tamen, concipi quidem communiter istud pactum expresso die certo, quo solutio facienda, non esse tamen formulam illam concipiendi pacti de forma eius, et omisssam expressionem diei nihil officere huius pacti effectui *). Potest enim et formula hoc concipi modo: *vt, si emtor in mora fuerit soluendi ad interpellationem venditoris, aut aliud pactum non impleuerit, res sit inemta aut venditio resoluatur.* Accedunt praeterea alia argumenta, quae repetimus tum a forma in pasto additionis in diem visitata, *vt si alias meliorem conditionem attulerit, recedatur ab emtione,* tum a pacto displicentiae, cuius breuis formula haec est: *si displicuerit, res sit inemta.* Quae pacta, absque certo adiecto die, vim habere I^cti romani acutissimi V^lP^lI^{an}V^s a), et P^aV^lV^s b) respondere. Attamen ex post vt quaedam interpellatio iudicialis accedat, necesse esse defendant Doctores c).

Quodsi vero ab initio dies certa in continentⁱ est determinata, currit de momento in momentum d) nec ea praeterita speciali opus est interpellatione, cum dies certus veniens est loco interpellationis e). Aequitatis tamen esse videtur, vt dies certus praesixus civiliter cum aliquo temporis temperamento intellegatur, ceu recte L^eY^sS^rE^vM f) monitum dedisse arbitramur.



*^o) LAVTERBACH Coll. Th. Pr. h. t. §. 9. ZOESIVS comment. h. t.
n. 7. VOET comment. ad Pand. h. tit. n. 4.

- a) L. 41. D. de R. V.
- b) L. 38. D. de minor. BALDV ad hanc legem n. 3.
- c) STRUV. Exercit. 23. §. 38. in fin. MENCKEN cit. System. h. t. §. 3.
SCHAUMBVRG cit. compend. §. 3.
- d) L. 2. D. de divers. et tempor. praescript. SCHAUMBVRG cit. loc.
- e) L. 12. Cod. de contrah. et committ. stipulat.
- f) Meditar. ad Pandeſt. specim. 197. Med. I. 2.

§. X.

Colligitur porro 2) necessarium esse, vt totum tempus constitutum lapsum sit, eo enim nondum praeterito nulla adest mora, nullaque poena cogitari potest.

Quaestio haud inelegans praeterea moueri potest, an dies intercalaris emtori proficiat i. e. numerum dierum augeat, et hodierno die adhuc vslum habeat? Veteres Iureconsultos quoad hanc quaestionem diuersa fuisse sententia patet ex L. 2. D. de diuers. et tempor. praescrip. qua Iureconsultus MARCELLVS quaerit, si quis fundum ea lege vendiderit, vt, nisi in diebus *triginta* pretium effet solutum, inemntus effet fundus, dies intercalaris proficit emtori? Respondet, mihi contra videtur; propositam, arbitramur, quaestionem secundum cit. Legem optime decidi posse, modo discriminem faciamus inter tempus, quod est determinatum per numerum dierum naturalem v. g. a dato binnen 40 Tagen, et id, quod est determinatum per numerum dierum ciuilem v. 9. a dato binnen 3 Monaten, Jahr etc. Casu posteriore prodest emtori dies intercalaris, ita, vt pro vna duntaxat die numeretur. In casu vero priori, quo tempus per numerum dierum naturalem est determinatum, dies intercalaris numerum dierum nequa-

nequaquam auget, adeoque haud est emtori proficuus g). Vsum huius distinctionis et in hodierno foro obtinere nec ullus inficias iuit.

Concluditur denique 3) ex secundo requisito, solutio intra tempus praefinitum vt haud sit subsecuta. Quid itaque juris sit, parte pretii duntaxat soluta, haud omni modo definitum esse videtur; de quo infra, cum de effectu legis commissoriae acturis simus, prolixius disputare mens nobis est.

g) BYNCKERSHOEK Observat. Iur. Rom. Lib. IV. cap. 8. CVIACIVS ad L. 98. de V. S. Tom. V. pag. 599. edit. Fabr.

§. XI.

Requiritur denique III. vt lapsº definito tempore venditor declareret, se ea lege vñrum esse, et quidem, si certus dies adiectus est, statim h), si quidem dies solutionis adueniens tam venditorem quam emtorem interpellat, et sui officii admonet i). Hoc ipsum tamen, quod dicitur, eum statim id facere debere, vtique cum aliquo temperamento intelligendum est, ita, vt intra modicum tempus arbitrio indicis pro qualitate circumstantiarum definiendum post legem iam num commissam electionem salvam venditor habeat k); certo autem die ab initio haud präscriptio interpellatio quaedam vt interueniat, necesse est.

h) L. 4. §. 2. ff. h. t. VIGEL in meth. iur. civ. lib. 18. cap. 5. num. 2. except. MENCKEN cit. system. §. IV.

i) HILLIGER lib. 16. cap. 19. lit. D.

k) L. 21. §. 1. D. de constit. pecun. L. 15. §. ult. cum L. seq. ex quibus caulis maiores. COLL. IVRID. ARGENT. h. t. §. 8.

§. XII.

Quod autem exercitium legis commissoriae a vendoris arbitrio pendeat, extra omne dubium positum est. Etenim ius vendori ex ea lege competens est intuitu exercitii liberum l), adeoque nihil est, quod eius renunciationem impedit. Adiicitur enim ea lex vendoris causa m), cuilibet autem iis, quae pro se introducta sunt, renunciare licet n), et quia alias sequentur, re, quae lege commissoria veniunt, perempta, emtorem non dando pretium, inemtam eam facere posse, quod valde absurdum: tum quia emtoris periculo res fuit o), tum quia in obligati arbitrio esse non potest, ne debeat p), tum quia nemini mora sua prodefesse debet q) tum denique quia id, quod in vendoris fauorem introductum est, in iniuriam ipsius retorqueretur r).

l) L. 2. 3. 6. pr. D. h. t.

m) L. cit. 2.

n) L. pen. Cod. de paſt.

o) L. cit. 2. h. t.

p) L. 2. §. 3. D. de eo, quod certo loc. L. 7. pr. de Contrah. Emr.

q) L. 37. in fin. Mand.

r) L. 6. Cod. de LL.

§. XIII.

Ratione modi renunciare potest vendorum verbis, tum factis. Verbis: si id palam pronunciet. Factis: 1) si post diem legi commissoriae praefitutum suo iure non statim vtatur s). 2) si pretium petat t), aut ab offerente vltro accipiat v), siue integrum, siue partem eius, quae post diem legis commissoriae adhuc

adhus debetur w), siue etiam usuras debiti pretii x). Quia, cum hae non nisi ex causa emtionis peti possunt, qui vult consequens, horum nimirum persecutionem, videtur etiam antecedens, ipsam scilicet emtionem ratam et firmam velle y).

Semel autem pretii petitione vel etiam commissoria lege electa venditori variare, et ad alteram redire haud est permisum z), cum electione ius quaeratur emtori, quod variatione venditoris interuerti illi nequit a). Qua propter eum, pretio semel petito, ex lege commissoria deinde agentem repellere potest emtor opposita exceptione factae renunciationis b).

s) L. 4. §. 2. h. t.

t) L. cit. 4. §. 2. L. 7. h. t.

v) L. 6. §. vlt. h. t.

w) cit. L. 6. §. vlt.

x) L. 4. Cod. de paſt. inter emtor. et venditor.

y) DONELLYS Comment. lib. 16. cap. 19.

z) L. 4. §. 2. L. 7. h. t. L. 4. Cod. de paſt. inter emtor. et venditor. H. Bochmer Comp. Digest. h. t. §. 3.

a) arg. L. 20. D. de optione. vel elec̄t. legat. WESENBECK. in Paratit. Pandect. h. t.

b) CIVIACUS ad L. 38. Dig. de minor.

§. XIV.

Effectus legis commissoriae, venditore eam exercere voluntate, alii sunt inter ipsos contrahentes venditorem et emtorem, alii intuitu tertii, qui cum emtore circa rem sub lege commissoria emtam contractum celebrauit.

Iura et obligationes inter venditorem et emtorem obtinencia eo redeunt: Emotor ponitur in obligatione restituendi rem

D

emtam



emtam cum omni causa c). Quam in restitutionem itaque v-
niunt: tum ipsa res principalis emta; et, si illa factio emtoris
deterior est reddita, eius quoque nomine agere licet d): tum
fructus omnes, sive sint pendentes, sive iam iam percepti, quia
nihil penes eum residere oportet ex re, in qua fidem fecellit e).
Perceptos tamen, pars pretii si forte soluta fuerit, compensare
emtor non prohibetur f): tum quodvis incrementum per
aluvionem vimque fluminis accedens g): tum denique thesau-
rus ab emtore in fundo comparato inuentus h), cuius tamen
partem dimidiam, cum fortuita inuentio fuerit, emtor lucratut
iure inuentionis i), iureque accessionis altera pars venditori
cedit.

Intuitu extraneorum, qui cum emtore circa rem sub lege
commissoria emtam contraxerunt, operatur ea lex, vt et hypo-
theca eidem rei emtiae imposita l), et seruitutes in ea ab emto-
re constitutae m) prorsus extinguantur, et quidem ob principium:
resoluto iure concedentis resolutur ius accipientis, in casu
obuio abtinens, quum emtor in se receperit obligationem in casu
morae, venditori volenti rem cum omni causa restituendi, quo
facto dominium in se translatum reddidit reuocabile. An vero
ea reuocabilitas ipso iure obtineat i. e. vtrum dominium in ven-
ditorem reuoluatur, quin interueniat retrotraditio tanquam mo-
odus recuperandi dominium semel in alterum translatum, est
thesis haud extra omne dubium posita, de qua opportuna nobis
erit occasio edifferendi, quum de actione ex hac lege commis-
soria venditori competente acturi simus.

c) L. 4. pr. D. h. t.

d) L. cit. 4.

e) L.

- e) L. 5. D. h. t.
- f) L. 4. §. I. h. t.
- g) L. 6. §. I. h. t.
- h) arg. cit. L. 4.
- i) L. 3. §. I. D. de A. R. D.
- k) §. 39. Inst. de R. Div.
- l) arg. L. 3. pr. D. quibus mod. pign. solv. L. 4. §. 3. D. de in diem addit. VINNIVS Select. quaest. Lib. II. cap. V. LAVTERBACH Coll. th. Pract. h. t. §. 13. de IENA de lege commiss. thes. 69.
- m) arg. L. II. §. I. D. quemadmodum seruit. amitt.

§. XV.

Propositis itaque emtoris obligationibus, quibus est obnoxius, venditore legem commissoriam exercente, inquirendum et nobis est, an emtori etiam competit ius a venditore partem pretii forte iam solutam repetendi, quae thesis a variis varie deciditur. Quorum ante sententias quam referam, Leges Doctorum ingenia vexantes primum proponendas esse arbitror. Sunt nempe:

L. 4. §. I. ff. h. t. qua VLPIANVS NERATII sententiam referens ait: sed, quod ait NERATIVS, habet rationem: ut interdum fructus emtor lucretur, *cum pretium, quod numeravit, perdidit.*

L. 6. pr. ff. h. t. qua SCAEVOLA ad speciem emtionis venditionis sub lege commissoria initiae sibi propostam responsum exhibuit: *Si per emtorem factum sit, quominus legi commissoriae parceretur, et ea lege uti vendor velit: fundos inemitos fore, et id quod arrhae vel alio nomine datum esset, apud venditorem remansurum.*



Maxima Iureconsultorum pars, quorum numero sunt viri iisque acutissimi, a sensu harum legum litterali haud recedendum esse putant: qui fidem, ait SCHILTERVS n) fundamentum societatis ciuilis fecellit, graue commisit delictum, igitur non modo nihil penes eum residere oportet ex re, in qua fidem fecellit, quod iam lctus Neratius innuit, sed etiam nihil recuperare ex dato, id quod quantum ad arrham minus dubii habet, quoniam ius arrham repetendi non habet, qui contractum non implet, sed, quoad partem pretii solutam, dura quidem lex est, iusta tamen, qua fides seruari discitur.

Nec desunt tamen Icti, qui a sensu litterali secundum quid recedendum esse statuunt, putantes, arrham quidem ipso iure amitti, sed partis pretii solutae iacturam pati emtorem, cum id vendorum expresse speciatim stipulatus sit o).

Deinde alii cum B. PWFENDORFIO p) distinguendum volunt inter pretium arrhae nomine datum, vt olim fieri suevit, et id, quod contractus implendi gratia solutum. Casu priore communem sententiam sequi non dubitant, posteriori vero eam erroneam esse credunt.

Placet mihi prae ceteris sententia MADIHNI q) citatas leges ita interpretantis, vt emtor nec pretium, nec arrham datam amittat. Legem 4. §. 1. cit. inquit, id duntaxat innuere velle, aequum esse, emtori, parte pretii iam soluta, competere facultatem compensandi fructus restituendos, quam aequalitatem Vlpianus agnoscit, referendis his verbis: *cum pretium, quod numeravit, perdidit. Propositio interdum emtor fructus rei venditae et traditae lucratur mentem ICti absolvit, et ne indeterminata videatur, statim hypothesis eiusdem addit, sub qua tantum ex*

ex eius et Neratii doctrina valet, *cum pretium, quod numeravit,* perdit. Hoc pretium, quod intelligit, vberius explicat, dum pergit, hoc iuris esse, *si partem pretii dedit.* Si tantum litteralem huius VLPIANI orationis sententiam consideramus, haud difficile intelligimus, ICTum neque vniuersaliter locutum esse, neque hanc inde controuersiam, quae hodie mouetur, vtrum emtor partem pretii sui perdat, si ex lege commissoria contractus irritus fit, desinuisse. In tota lege quarta de lege commiss. VLPIANVS iura venditoris eiusque officia docet, neutiquam vero directe moroso emtori obligationes, quae resoluto contractu nascuntur, praescribit, quod ex eo manifestum satis appetat, quum in primam eiusdem legis partem quaestione mouet, vtrum venditi actione iam resoluto contractu venditor tantum ipsum fundum traditum repeteret possit, aut an simul fructuum atque accessiorum causa, quae emtor pendente lege commissoria acquisuerat, hac actione experiri possit? Causa olim inter se fetas agebatur, nimirum an finito contractu venditori actio venditi aut praescriptis verbis danda sit, vsque dum teste VLPIANO r), litem secundum SABINVM eiusque familiam dederunt imperatores Severus et Antoninus s). Hac occasione ICTus Neratii sententiam de fructibus rei traditae, quae nunc ad venditorem reddit, refert. NERATIVS enim existimabat, emtorem fructus ex fundo vendito haec tenus perceptos lucrari: *si partem pretii, quam numeravit, perdidit.* Vlpianus igitur potius contra venditorem facit, dum negat venditorem hac sub hypothesi simul contra emtorem fructuum perceptorum causa ipsa actione venditi agere posse, quum alioquin etiam illa actio venditori competisset fructuum, quos perceptit emtor, consequendorum causa.

D 3

Dein-



Deinde ex eo ipso, quod emtor in restitutionem fructuum partem pretii iam solutam imputare valeat, consequitur, venditorem obligatum esse ad eam partem pretii iterum restituendi, quum absque mutua obligatione nec vila cogitetur compensatio. Mirandum itaque haud est, si et defendantus, partem pretii iam ab emtore solutam eidem a venditore restituendam esse, licet emtor nullos percepit fructus; iactura huius partis non est secundum nostram explicationem in cit. lege 4. fundata, sola pena commissae morae in sola contractus resolutione posita esse videtur, ceu affirmat Branchu Ictus acutissimus t).

Nec turbat nos cit. L. 7. pr. ff. h. t. quum ea sane de speciali casu intelligenda sit, qui ICto proponebatur, quo pacientes procul dubio in ipso Contractu conuenere, quod arrhae lucrum ad venditorem pertineret, si forsan ex lege commissoria contractus resolueretur. Extant quidem nullae speciales circumstaniae, quae ICto suffecerunt, arrhae dispendio emtorem multare. Non obscure etiam ex lege penitus perspecta intelligimus, ICTum ex confusa forsan querentis narratione ancipitem fuisse, vtrum id, quod emtor perfecta emtione dedit, arrhae proprie talis esset, an aliam praestationem complecteretur, cum disiunctive loquitur id quod arrhae vel alio nomine datum fuisse. Explicanda itaque est illa lex ex alia lege quippe octaua ff. h. t. qua Scaeuela elegantem casum definit sequenti oratione: *Mulier fundos Cajo Sejo vendidit, et acceptis arrhae nomine certis pecuniis, statuta sunt tempora solutioni reliquae pecuniae, quibus si non paruisset, emtor pacius est, ut arrham perderet et inemtae villae essent. Die statuto emtor testatus est, se pecuniam omnem reliquam paratum fuisse exsoluere, et saccum cum pecunia signatorum signis obsignauit, desuisse autem ven-*

venditricem. Posteriori autem die nomine *fisci testato conuentum emtorem*, ne ante mulieri pecuniam *exsolueret*, quam *fisco satisficeret*. Quae situm est, an fundi non sint in ea causa, ut a venditrice vindicari debeant ex conuentione venditoris. Respondit secundum ea, quae proponerentur, non commisissse in legem venditionis venditorem. SCAEVOLA in hac facti specie expresse refert, inter emtorem et venditricem, pactum eum in finem initum esse, ut emtor, si contra legem committat, arrham datam perderet, quare tantum abest, ut emtor ipso iure arrham amittat, venditore a contractu ob legem commissoriam recedente, ut potius ex mente Scaeuelae non nisi pacto interueniente hoc fiat. Deinde ICTUS expresse dicit, *statuta esse tempora solutioni reliquae pecuniae*, atque per hanc locutionem innuere videtur, quod pecunia arrhae nomine data in pretium computandum fuisse, si emtor pretium iusto tempore soluere paratus deprehenderetur. Si vero arrha tempore contractus iam perfecti data in pretium imputanda est, arrham datam venditorem etiam praeter pretium haud lucrari manifestum est. Neutiquam itaque ex inre Romano licet formare conclusionem, arrham vel pretium ob legem commissoriam, si exerceatur, ipso iure esse amissum, sed speciale interueniat pactum necesse habemus.

^{a)} in Praxi juris Rom. et Germ. Exercitat. XXX. §. 54.

^{b)} VOET comment. in Pandect. Lib. XVIII. tit. 3. §. 3.

^{c)} Tom. I. Obs. 59.

^{d)} in laud. Diff. §. 8.

^{e)} L. 4. §. 1. h. t.



s) MASCOY tract. de seccis Sabinianorum et Proculianorum cap. 9. §. II.
Emund. MERILL. in obseruat. lib. 3. cap. 8. HOTOMAN. in Obf. lib.
5. Obf. 14. Nood in Comment. ad Pandect. tit. de lege commissor.

t) in obseruat. iur. Rom. lib. I. cap. 7.

§. XVI.

Quum itaque resoluto contractu emtionis venditionis ob
legem commissoriam emtor premium datum recuperet, sponte
inde et sequitur, emtorem fisco nullam debere gabellam, et si
ea forsan iam sit exsoluta, optimo iure eam condicere licet.
Cessat enim ratio, ob quam in certis casibus gabella fisco est in-
ferenda u). Fallunt et falluntur igitur ii, qui gabellae, fisco
iam exsolutae, conditionem haud locum contendunt.

u) CHRISTINAEV^S Vol. III. Decis. 90. n. 3. LAVTERBACH Coll. Th.
Pract. h. f. §. 16.

§. XVII.

Venditori legem commissoriam exercere volenti quodnam
remedium iuris competit, extra omne dubium nondum est pos-
tum. Tota huius remediī Decisio pendet a Decisione quaestio-
nis praejudicialis, vtrum, emtore in legem commissoriam pec-
cante, emtio venditio ipso iure sit resoluta, ita ut dominium rei
venditae et traditae nec unquam translatum habeatur? Alii
affirmatiuam tenent sententiam w), alii discriben faciunt, num
paetum commissorium verbis directis vel obliquis sit conceptum.
Verbis directis, id est si vendor expresse declarat, contractum
haberi ita nullum, ac si ab initio non valueret, tribuunt tantam
efficaciam, ut dominium ipso iure resoluant; obliquis vero tan-
tum

tum effectum negant, sed competere venditori modo ius ad rem ad agendum actione personali venditi aduersus emtorem ad rem venditam cum omni causa restituendam x). Momentum practicum huius distinctionis sane haud est leue, cum primo casu datur reiindicatio contra quemcunque possessorem: in posteriori vero casu modo actio personalis contra emtorem. Alii denique non nisi simplicem actionem competere personalem autumant y).

Ego quidem non audeo tot tantisque viris me longe superioribus dubia opponere, sed quid sentiam exprimere fas erit. Ematio venditio sua natura est titulus ad transferendum dominium habilis, idque etiam in lege commissoria in dubio translatum est in emtorem. Iam vt iterum ipso iure redeat ad venditorem nec ullus textus iuris approbat, nec quoque inuenitur discrimen inter verba obliqua et directa in hac materia. Tantum itaque abest, vt venditori tribuamus reiindicationem, vt potius non nisi actione personali experiendum concedamus: id quod bene illustrat Lex 3. Cod. de pæst. inter emtor. et vendit: qua imperator ALEXANDER ait: Qui ea lege vendidit, *vt nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum esset, ad se reuertere tur: si non precariam possessionem tradidit, reiindicationem non habet, sed actionem ex vendito.* Perspectis huius legis verbis dicendum omnino est, ad legem commissoriam exercendam nec ullum aliud competere remedium, quam actionem personalem ex vendito, nisi venditor modo precariam possessionem in emtorem transtulerit, quo casu per se patet, emtorem dominium rei emtae haud esse naustum, adeoque nihil impedimento est, quo minus venditor actione reali experiatur. Suppeditat

E

nobis

nobis: cit. Lib. 3. caufelam, vt in venditione, cui lex commif-
foric est adiecta, vendor non nisi precariam possessionem
transferat, quo facto contra quicunque possessorem securus
redditur.

w) ZÖRSIVS Comment. ad Pandect. h. t. num 5. HAHN. ad Weſenbecl.
h. t. n. 1. MANTICA de tacit et amb. conuent. Lib. IV. tit. 29. n. 22.

x) H. BOEHMER in coimcond. ff. h. t. § 7. WERNHER Tom. II. Part.
VII. Obs. 228. BERGER Occon. Iur. lib. III. tit. 5. thef. 7. not. 1.
VOET comment. ad Pand. h. t. § 2.

y) Iohann. VOLK. BECHMANN Comment. ad Pand. h. t. n. 2.

S. XVIII.

Supereft denique, vt videamus, quibus casibus vendor, pecunia ad diem non soluta, legem commifforiā tamē exerce non possit.

Alii sunt casus, quibus venditori voluntate cefiat huius legis axerictium. Referuntur huc omnes casus, quibus huic legi est renunciatum. Renunciatio autem fieri potest vel exprefse, vel tacite. Posterius fit per facta concludentia, quae sunt, cum vendor, post effluxum terminum ad soluendum, residuam pecuniam ab emtore interpellando petierit z): tunc enim per istam interpellationem a poena commissi ipso facto receffisse praeſumitur a). Viamque quam femel elegit, ambulare debet b), cumque praefertim lex commifforia e numero odiosorum fit, ideo magis contra venditorem, quam emtorem explicanda eſt c): vel vendor pretium vltro oblatum accipit d), vel etiam vſuras pretii non soluti exigit e).

Alii sunt casus, queis cb speciales rationes vendor commifforiā legem exercere prohibetur: tum, quoniam per emto- rem

rem haud stetit, quo minus solutionem praestare potuerit v. g.
 deest venditor, cui pretium offerendum: ea enim ratione emto-
 ri nihil imputandum, qui soluere, etiam si velit, non potuit f).
 Interim tamen emtori denunciatione aut obsignatione cum de-
 positione judiciali consulendum g). Idem, quod in emtore juris
 est, pari ratione in venditore valere debere existimandum,
 quando ad rem, intra certum tempus, tradendam sub clausula
 commissoria sese adstrinxit h). Huiusmodi casus Mens. sep-
 tembr. 1715. a Regimine Hannouerano ordini Vitembergensis
 oblatus fuit. Cum enim vendor frumentum intra certum tem-
 pus tradere promisisset, clausula commissoria adiecta, factum est,
 ut lege publica venditio frumenti in extraneos prohiberetur, at-
 que interim, donec illa prohibitio cessaret, pretium illius de-
 cresceret eoque emtor contractu stare nollet. Responsum fuit,
 legem commissoriam non habere locum, ex rationibus, quo-
 niam casum fortuitum, cui et factum principis adnumeratur,
 sentiret emtor, et quoties per aliquem non stat, quo minus im-
 pleat, quod promisit, toties regulariter illud pro impleto habereri
 debet i). Cessat praeterea lex commissoria, tum, quia inter-
 venit vendoris culpa, ob quam solutio haud est facta. Ea
 committitur, tum non acceptando pretio debito tempore oblatu:
 dum fraudulenter se occultando, aut relinquendis ad tempus ae-
 dibus, quo minus emtor venditorem adire valeat. Exemplum
 elegans occurrit Lege ultima D. h. t. Mulier fundos Caio Seio
 vendidit, et, acceptis arrhae nomine certis pecuniis, statuta sunt
 tempora reliquae pecuniae: quibus si non paruisset emtor, pa-
 ctus est, ut arrham perderet, et inemtae villae essent. Statuto
 tempore paratam habuit pecuniam emtor, sed venditrix desuit

36

et tergiuerata est, vt ei soluere non potuerit: testatus igitur est eo ipso die emtor, se pecuniam omnem reliquam paratum fuisse ex soluere, defuisse autem venditicem: et saccum cum pecunia testatorum, id est, testium signis obsignauit; quae situm est, an venditrix legem commissoriam exercere et tanquam non soluta ad diem pecunia fundos vindicare possit? Respondit SCAEVOLA, emtorem in legem venditionis non commisso, adeoque fundos inventos non esse. Quod SCAEVOLA in casu speciali definit, id probat generaliter VLPIANVS, cum in L. 4. §. 4. D. l. t. dicit, quod si non habet, cui offerat, posse esse securum emtorem. Idem affirmat AFRICANVS in L. 23. ff. de obligat. et action. dicens. poena traiectioniae pecuniae nomine, si ad diem soluta non effet, in stipulationem deducia, non committi stipulationem, si per debitorem non steterit, quominus solueret: et idem dicendum esse, cum quid ea lege venierit, vt, nisi ad diem pretium solutum fuerit, intenta res fiat. Ratio huius rei in promtu est: in commissoria enim venditione res committitur, non propter lucrum vendoris, sed propter moram emtoris: quid vero potest imputari ei, qui solvere, etiam si velit, non potuit k)?

Deinde cessat et lex commissoria, cum euictionis casus certo imminet, quae est iusta retinendi pretii causa, donec a nexu res emta liberetur, etiam si vendor ad cautionem se offerat l). Si quis autem sciuit conditionem eius, cum quo contraxit, vel facile scire potuit et debuit, nec cautionem exegit, suae facilitati id imputare, pretiumque detinere non debet m).

Alia denique ratio posita est in petita impetrataque in integrum restitutione, quae pro purganda mora vel docendo impediri

pedimento sigillatim minori haud deneganda n). Nec defunt qui et maiores ante litis contestationem morae purgationem concedunt o).

- z) L. 7. D. h. t. WERNHER Tom. I. Part. 5. Obsf. 3. pag. 986.
- a) L. 15. D. rem rat. hab. L. 38. D. de minoribus.
- b) L. 32. §. 2. D. de usur.
- c) L. 39. D. de paet.
- d) L. 6. §. 2. h. t.
- e) L. 4. Cod. de paet. inter emtor. et venditor.
- f) L. 17. §. fin. D. de usur.
- g) BRVNNEMANN ad. L. 7. Cod. de paet. inter emtor. et venditor.
- h) WERNHER Tom. I. Part. 4. Obsf. 89.
- i) L. 23. D. de Obligat. et Aet.
- k) L. 27. §. 3. D. de usur.
- l) MEVIVS Part. VII. Decif. 398.
- m) MEV. cit. Part. Decif. 101.
- n) L. 38. D. de minor. ibique BRVNNEMANN.
- o) STRYCK Vf. mod. h. t. §. 6. et 7.
- p) BERGER Oec. Iur. L. III. T. 5. thes. 7. not. 4.

§. XIX.

Definitionem legis commissoriae emtionis venditionis, quam Spho secundo proposui, ad solum venditorem, quippe qui eam vt plurimum adiicere solet, restrictam inuenieris. Verum enim vero ne vitio mihi quis vertat omisso casus, queis vel emtor eam legem apponere valet, quique tamen non saepe numero in foro ventilantur: pauca modo verba per modum appendixis fa-

cere me oportet, qua ratione ea lex ab emtore quandoque adiici possit.

Duplici potissimum, arbitror, modo eam legem apponere posse emtorem: nempe 1) ut non sit obligatus ex parte sua implere contractum, quum venditor in restitutione rei venditae moram neget. Moram hic intelligi formalem, i. e. quae venditori imputatur, in aprico est. Etenim mere materialis purgationem a poena nec villa ratione excludit, quum impedimenta facti lege haud reprobata supponit, quorum allegatio, si iis haud est renunciatum, allegantem a poena alias in moram statuta reddit liberum p). Cuiusmodi exemplum illustrans in §pho antecedente ex WERNHERO iamiam exhibitum dedit.

Deinde 2) in pacto retroueditionis iure Romano q) non minus ac iure canonico r) iam approbato legem commissoriā locum habere nec inuita Minerua dixerim. Intelligitur scilicet sub pacto retroueditionis *pactum emtione venditioni adiectum*, *ut pretio oblato, emtor eiusque heredes venditori eiusque heredibus rem restituere teneantur*. Initur hoc pactum vel indefinite absque villa diei facta mentione vel, quod plerumque fit, adiecto die; priori casu ius reluendi nulli obnoxium esse praescriptioni contendunt nonnulli Iureconsulti s), quorum tamen sententia mihi haud arridet, quum reipublicae quam maxime interest, ne lites sint infinitae t); quam ob rem secundum analogiam iuris u) hoc ius reluendi spatio 30 annorum extingui existimauerim. Posteriori vero casu dies adiectus est vel terminus a quo v. g. nach 3 Jahren vel terminus ad quem v. g. binnen 3 Jahren oder 40 Tagen, qui non a traditione, sed venditionis tempore computandus est w). In primo casu ante venientem diem utpote terminum a quo,

tam-

tametsi pretium offeratur, ad restituendum non obligatur emtor. Quae species retrouenditionis vocari potest retrouenditio ex die x). Veniente vero eo die statim reluitio facienda est, adeo, vt, si non fiat, tempus a quo de nouo currere haud incipiat y), vt nonnullis visum est. In altero casu, quo dies tamquam terminus ad quem appositus inuenitur, lex commissoria, licet termini nulla facta fuerit mentio, tacite inesse creditur, adeo vt, si intra illum diem totum reluitionis pretium haud sit oblatum, venditor iure suo reliundi excidat z).

Id quod in lege commissoria a venditore adiecta iuris est, caeteris paribus et in eo casu, quo pacto retrouenditionis intra certum diem facienda ea lex vel expresse apposita, vel sub eo tacite intelligitur, pari obtinere ratione, nec facile in dubium quis vocabit. Quo inde consequitur, 1) venditorem modo partis pretii reluitionis solutae iacturam haud pati, sed ei restituendam esse emtore rem emtam retrouendere recusante, quod omnino facere potest integro reluitionis pretio intra diem certum praefixum haud oblatu *), quod tamen ita, puto, intelligendum esse, si emtor post modicum temporis elapsi intervallum damnum sentiret, alias residuum admittere cogendum esse a). Deinde 2) diem reluitionis praefixum ciuiliter et cum aliquo temperamento temporis intelligi oportere b). Nec non 3) die determinato in ferias incidente et post ferias reluitionem recte fieri c). 4) Sufficere, puto, pretium reluitionis a retroemtore in die praefixo verbis offerri d). 5) Moram in soluendo retrouenditionis pretio commissiam confessim, antequam nempe retrouenditionis interessus incipit, purgari posse e). Denique 6) notandum est, minores et collegia contra moram in soluendo reluitionis pretio commissiam in integrum restitutione esse audiendos f).

p) STRYK

- p) STRYX Diss. de purgatione morae.
 q) L. 2. Cod. de pact. inter emtor. et vendit. L. 12. D. de praescript. verb.
 r) cap. 5. X. de emtione et venditione.
 s) LEYSER ineditat. ad Pand. Specim. 191. Med. 7. WISSENBECHIVS
 ad Pand. tit. de reicind. vendit. thes. 32.
 t) L. fin. D. pro suo.
 u) L. 3. Cod. de praescript. 30. vel 40. annor. GAIL lib. 2. Obsf. 18.
 MYSN. Obsf. 16. et Resp. 31. n. 12. H. BOEHMER Comp. Dig. lib.
 18. tit. 1. §. 33. HVBER Comment. ad Dig. tit. de reicind. vend.
 n. 10. BERGER Oecon. iur. pag. 490. not. 3. edit Winkleri. ZOE-
 SIVS de retract. conuent. n. 33. PEREZ ad tit. Cod. de pactis inter
 emt. et vendit. num 22. LEYSER iur. Georg. lib. I. cap 41. n. 29.
 w) TIRAQVELLVS de retractu §. 1. gl. 2. n. 2. LEYSER spec. 191. med. 7.
 x) L. 3. de procurat. L. 44. §. 1. de obligat. et act.
 y) LEYSER Spec. 191. Med. 8.
 z) LEYSER Spec. 191. Med. 25. CARPOV Part. 2. Const. I. Def. 8.
 o) BOEHMER Tom. I. Part. II. Respons. 126. n. 37.
 a) L. 135. §. 2. D. de Verb. obligat. GODOFR. CHRIST. LEISERVUS iur.
 Georg. lib. I. c. 41. num. 17. I. FACHIN. iur. controv. lib. II. c. 4.
 b) LEYSER Spec. 191. med. 21.
 c) LEYSER cit. spec. med. 22.
 d) LEYSER cit. spec. med. 23.
 e) LEYSER cit. spec. med. 24.
 f) LEYSER cit. spec. med. 25.

COROL.

COROLLARIA.

I.

Iudeus ex Christiani testamento legatum accipere non prohibetur.

II.

Libri mercatorum in thesi iuris pro scribente nihil probant.

III.

Donatio non reuocatur ob liberorum superuenientiam.

IV.

Quantitas pecuniae legata, mutata moneta, soluenda est, quae tempore conditi testamenti, in usu fuit.

V.

Iussus iudicis, ne debitor creditorij soluat sortem, debitorem non liberat ab usuris.

VI.

Bona marito, constante matrimonio, illata in Dubio pro parphernalibus habenda sunt.

VII.

Mulier obaerato viro scienter nubens dotem constante matrimonio, ad inopiam vergente marito, repetere potest.

VIII.

COLONIARIA

VIII.

*Feudum antiquum ob culpam domino apertum manet penes eum,
quoad delinquens vasallus vivit, mortuo eo restituenda est proximis
agnatis.*

IX.

*Liberis suis heredibus praeteritis a patre totum testamentum ipso
iure nullum etiam hodie post Nouell. 115. c. 3.*

X.

*Liberis sine elogio a patre exhereditatis testamentum modo quoad
heredis institutionem rescinditur.*

VI

*Quod si liberi sicut in aliis locis in aliis locis non possint
instituere heredes nisi per legem vel iurisdictionem.*

V

*Si liberi in locis in quibus non possunt instituere heredes
instituuntur in aliis locis.*

IV


*Si liberi in locis in quibus non possunt instituere heredes
instituuntur in aliis locis.*

III

*Si liberi in locis in quibus non possunt instituere heredes
instituuntur in aliis locis.*

Göttingen, Diss., 1786+87





DISSERTATIO IN AVGVRALIS
DE
**LEGE COMMISSORIA
EMTIONIS VENDITIONIS**

QVAM
SVB AVSPICIIS REGIIS GEORGII III.
AVCTORITATE
INCLYTI IVRECONSVLTORVM ORDINIS
DIE XXIX. IVL. MDCCCLXXXVI.

PUBLICE DEFENDET

IOANNES WILKENS

BREMA - SAXO.

GOETTINGAE
Litteris FRIED. ANDR. ROSENBUSCH.